



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Qualis fuerit secundum anima[m] homo ante peccatum. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Hic qualis secundum animam, & agit de scientia hominis ante peccatum. B

Et quidem secundum animam rationalis fuit homo, habens discretionem boni & mali. Scientiam quoque rerum creatarum, & cognitionem veritatis, quae primae perfectioni congruebat, mox conditus non incongrue accepisse putatur, & ad illam non studio vel disciplina aliqua per intervalla temporis profecisse, sed ab exordio suae conditionis divinitus illam percepisse.

Quod triplicem habuit homo ante lapsum cognitionem, scilicet, rerum propter se factarum, & creatoris & sui. C

Fuit homo primus ante lapsum triplici cognitione praeditus: rerum, scilicet, propter se factarum, & creatoris, & sui. Rerum quippe cognitionem hominem accepisse perspicuum est, cum non ipse creator vel angelus aliquis, sed homo omnibus animantibus nomina imposuerit: ut ostenderetur, quae singulorum notitiam homo ipse habuerit. Quae enim propter illum creata erant, & ab illo regenda & disponenda erant, horum omnium Deus illi & scientiam tribuit, & providentiam atque curam reliquit: quia ut ait Apostolus, Non est cura Deo de bobus. Quorum aliorumque animalium Deus homini curam reliquit & providentiam, ut dominationi eius subicerentur & ratione illius gubernarentur: ut sciret illis necessaria providere a quibus emolumentum debebat recipere. Haec a scientia homo peccando non perdidit, sicut nec illam qua carnis necessaria providebantur. Et ideo in scriptura homo de huiusmodi non eruditur, sed de scientia animae quam peccando amisit.

De cognitione creatoris. D

Cognitionem quoque creatoris primus homo habuisse creditur. Cognovit enim a quo creatus fuerat: non eo modo cognoscendi, quod ex auditu solo percipitur, quomodo a creditibus absens quaeritur: sed

De cognitione rerum creatarum.

1. Cor. 9.

quae